

Kamil Kantak

Lismaninus qua religiosus

Collectanea Theologica 18/1-2, 327-346

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

LISMANINUS QUA RELIGIOSUS¹⁾.

Nomen Lismanini iungitur initiis protestantismi in Polonia habetque in eo unum ex prioribus locis. Proinde persona eius attentionem studentium huius temporis in se trahebat. Attamen principaliter qua initiator neotherismi religiosi tractabatur. Pauca de eius anteriore actione nota erant. Verum Lismaninus iam antequam minister novae religionis devenisset, multos annos vitae valde notabiles qua religiosus degerat et in suo Ordine ad altum gradum elevatus est scil. ministri provinciae Poloniae Minorum Conventualium. De hac periodo vitae Lismanini collegimus nova adhuc ignota aut saltem inedita materialia, in quibus evolutio huius non parvi momenti viri in clariore luce apparet.

Modernus biographus Lismanini Wotschke²⁾ de his annis vitae eius praebet informationes parcas nec a mendis liberas. Secundum eas Lismaninus natus est in Corcyra insula a. 1504. Iam ante a. 1515 advenit comitans parentibus fortunam in Polonia quaerentibus Cracoviam, hic versus a. 1520 intravit Ordinem Conventualium, quamvis iam libros Lutheri legens in corde non nisi ad dimidium esset catholicus. Qua confessarius Bonae factus est 1540 minister provinciae Franciscanae et obtinuit parochiam Czechów in palatinatu Cracoviensi.

Probationem eorum omnium Wotschke affert colloquium Lismanini cum Georgio Israel, habitum a. 1556, in quo dicit de sua praematura abalienatione ab Ecclesia, et notam ex prooemio *Trajedia o Mszey*, ubi legitur, quod a iuventute habitabat in Polonia et propterea perfecte sciebat, nostram linguam, denique eiusmodi notam in correspondentia Zebrzydowski de d. 23 Januarii 1552.

¹⁾ Historiae Franciscanorum in Polonia I volumine nunc in lucem proferendo, speramus anno sequenti edituros se II volumen cuius caput secundum Lismaninum considerat.

²⁾ Francesco Lismanino Ztsch. d. hist. Ges. f. d. Pr. Posen 1903, 214.

W. non dicit quo fonte datum nativitatē nitatur. Videtur non esse nisi coniectura. Pensamus datum in genere rectum esse, forsā aliquantulum removendum versus a. 1500; in eadem enim epistula Zebrzydowski dicit: „cum paene a pueris nos inter nos familiarissime amaremus, iisdem studiis operam daremus“. Zebrzydowski vero natus est a. 1496. Si autem putamus datum nativitatē L. paulum reponendum esse, non potest hoc concerni plures annos. Primum enim Lismaninus in fontibus notatur expresse a. 1536, uxorem duxit ca initium anni 1555, obiit se ipsum occidendo 1566; quae omnia certum indicium non dantia, tamen insimul vix permittunt nativitatē removeri posse a. 1500. Ceterum dolendum est datum certum nativitatē non traditum esse quod nos multum iuvasset in diversis vitae suae circumstantiis accuratius investigandis

Neque fide scimus quo tempore venerit in Poloniam, quando et ubi Ordinem intraverit. Adversus opinionem d. W. statuendum est, nos de familia et parentibus Lismanini nihil certum scire. Nos aliam coniecturam de suo adventu et monachatu proponimus. Altera ex parte maior numerus Italorum non veniebat in Poloniam nisi cum Bona regina quae advecta est a. 1518. Ex altera autem parte a. 1517 provinciae Conventualium datus est novus minister Marcus a Turre Venetus³⁾. Cuius erat reorganisare provinciam et ille non paucos Italos secum vel post se in eam adduxit. Lismaninus natus Corcyrae, tum ad Rempublicam Venetam pertinentis, Venetus quoque erat. Postea a Marco a Turre insignitus et promotus est, denique successor suus in ministeriatus factus. Proinde conicimus Lismaninum aut statim aut mox in Poloniam hunc secutum esse. A. 1517 aetas eius erat 13—17 annos quod coincidit cum datis superioribus eum a iuventute in Polonia degisse. A. 1520

³⁾ Cfr. Biernacki, *Speculum Minorum*, Cracoviae 1688 275—6. Proveniebat probabiliter ex vico Turre in Terra firma prope Paduam, proinde ex provincia Veneta (Marchiae Tarvisiae). Quae provincia hoc tempore satis dissoluta describitur, ipse vero Marcus saltem strenuus administrator erat (Add. I, nr 1). Hoc a. 1517 provinciae Bohemiae et Poloniae in duas disiuncta est. Polonia post necem ministri Fantini 1516 reformatione indigebat. Marcus a Turre fuit etiam commissarius generalis, pro Bohemiae provincia quae ceterum illo tempore Hussitismo pessime patiebatur. Provincialis, cum titulo officiali magistri, sed consuete ministri dabatur, erat usque ad a. 1538 nisi 1540 (vide infra), postea commissarius retinuit commissariatum usque ad a. 1545 quo obiisse videtur.

quando minister totius Ordinis Minorum Franciscus Lichetus Cracoviam venerat, ad prandium in conventum s. Bernardini invitatus, Marcus a Turre secum sumpsit duos fratres quorum alter „iuven- culus Italicus fecit orationem perbreve sed venustissimam invi- tans Suam Paternitatem Rmam ex parte Magistri sui et omnium Conventualium Fratrum, ubi suam Pat. Rmam extollebat, generis altitudinem, de scientia et doctrina quod egregie super Senten- tias Scoti scripserat ac de rerum gestarum gloria addens haec verba: Tu Rme praestantissime Generalis qui velut alterum ra- dianus sidus totum Seraphicum Ordinem nunc illustras Francisci etc. Qua finita se venerabiliter inclinavit et Pat. Rma sua eum bene- dixit dicens Deo gratiae et iussit eum sedere⁴⁾“. Probabiliter hic Italicus iuvenculus erat Lismaninus.

Ubi Lismaninus studia perficiebat? Nihil certum traditum est. Ex suis libris patet eum humanistam fuisse. Nuper opinio edita est eum Cracoviae apud Leonardum Coxe studuisse⁵⁾. Bene hoc correspondet cum nota quod insimul cum Zebrzydowski litte- ras hauriebat qui apud hunc lectorem Cracoviae studebat. Pos- tea hic Basileam profectus est ad Erasmum Rotterodamum et Parisios. Sed Lismaninus? Videtur nobis potius Paduae Univer- sitatem frequentasse quia tum erat haec Veneta universitas, tum in Italia Poloni Conventuales studebant, tum postea quoque ami- cus et successor Lismanini Stanislaus de Opoczno Paduensis stu- dens invenitur⁶⁾. Sed ex notis fragmentariis facultatis artistarum et theologiae ex illo tempore derelictis nihil certum erui potest⁷⁾. Utcun- que Lismaninus humanista versatissimus apparet, vix talem scien- tiam Cracoviae acquirere potuit, minus bene videtur scivisse the- ologiam scholasticam⁸⁾. Quae Italica studia vix non cum certitu-

⁴⁾ Bihl. M. Relatio de ministro generali Francisco Licheto etc. Ad Claras Aquas 1935, 43, nr. 23 Coniecturas meritissimi editoris de Lisma- nino corrigendas esse patet ex hoc nostro studio.

⁵⁾ B a r y c z H., Historia Uniwersytetu Jagiellońskiego w epoce hu- manizmu Kraków 1925, 408—9. Acta Hist. I nr. 794.

⁶⁾ Ibidem 169.

⁷⁾ Hanc informationem debemus D. Rectori Universitatis Paduanae in litteris de 8 Martii 1935, pro qua ei debitas gratias exprimimus.

⁸⁾ Talis impressio patet ex eius sermone (Add. II) et ex posteriore in luctis de Trinitate affirmata assertione non nisi scholasticas definitiones huius mysterii adinvenisse, dum res discutebatur et definiebatur maxime s. IV et V.

dine postulantur. His studiis decennium 1520 — 30 expleri videtur neque ex his annis ulla commemoratio sua extat.

Prima mentio eius expressa invenitur 10 Junii 1536, cum fungebatur munere custodis Cracoviensis⁹⁾. Erat hoc officium notabilissimum in provincia post ministrum, quapropter supponendum sit Lismaninum iam antea quaedam minora officia habuisse, sed de illis nihil traditum est.

Hoc munere custodis Cracoviensis usque ad suam electionem in ministrum 1538 aut 1540 Corcyraeus fungebatur. Non erat autem guardianus sed cantor. Quo toto tempore minister erat Marcus a Turre. Qui administrationem provinciae difficillimis in circumstantiis adeptus rege Sigismundo minante se omnes Conventuales ex regno eiecturum esse¹⁰⁾, eam ad ordinem et observantiam redegit. Etiam benevolentiam reginae Bonae conciliavit quae eum confessarium, concionatorem, secretarium fecit. Hac ratione in nominatione episcoporum intermedius erat, ex qua regina non paucum argentum trahere solebat. Hic denique iunctio coloniae Italicorum cum s. Francisci ecclesia notanda est quae suam expressionem in capella Italica invenit.

In interiore vita fratrum apparet cura educationis intellectualis. Ipse Marcus erat professor theologiae dogmaticae (sacrae paginae) Universitatis Cracoviensis (1519—45)¹¹⁾. Instructionis religiosorum suorum causa edidit decretum sine dubio in capitulo¹²⁾: „Invigilent ut suscipiantur adolescentes apti ad studia litterarum. In conventibus principalioribus unus singulis annis ad minus, in aliis vero unus singulo quoque biennio, ex quibus si qui visi fuerint ad litteras apti, mittantur Cracoviam ut prius rudimenta litterarum doceantur. Postea ex horum numero semper quatuor mittantur ad gymnasia nostri Ordinis Italica ita ut cum unus redierit in Poloniam, alius in eius locum transmittatur“. Minus scimus de educatione spirituali. Hic forsam pertinet quod de susceptione novitiorum statutum erat, ut habeant „bonam famam et indolem“, annos saltem duodecim sed professionem ne faciant ante sextum decimum, adulti absolvant annum probationis.

⁹⁾ Ad I, nr 1.

¹⁰⁾ Bibl. Ossol. 1313, nr 226, pag, 436/7 (copia ex s. XIX).

¹¹⁾ B a r y c z O. I. 185.

¹²⁾ Ad I, nr 20.

Ministeriatus Marci de Turre finivit anno 1538 aut 1540. Ex hac periodo Lismaninus iterum nominatur in diplomate Marci de 20 Martii 1537¹³⁾ quo coetui lignifabrorum conceditur capella fratresque eis praedicaturi erunt etc. In quo documento „Franciscus Graecus“ rursus officium custodis Cracoviensis habet, sed non cantoris. Custodis erat visitare conventus suae custodiae h. s. Cracoviensis quae Minorem Poloniam comprehendebat. An Lismaninus reipsa visitaret, erui non potest. Sine dubio autem in studio conventuali docebat. Certe quoque iam tunc amicitiam cum Andrea Zebzydowski inierat aut potius renovaverat post eius in patriam reditum. Nulla extant vestigia Lismanini commorationis Vilnae, excepto itinere facto cum Marco vere anno 1536. Quapropter narratio de sua actione Vilmensi qua concionatore Sigismundi Augusti et propagatore novellarum doctrinarum protestantium inter fabulas reicienda est¹⁴⁾, eo magis ut officium eum Cracoviae retineret.

Successor Marci a Turre in ministeriatu provinciae erat Lismaninus. Adest tamen quaestio, utrum hoc acciderit anno 1538 an demum 1540. Primum datum dat meritissimus Conventualium historicus Biernacki¹⁵⁾ narrans hoc anno Marcum congregasse capitulum Cracoviae, officio sua sponte cessisse successoremque Lismaninum habuisse. Ipse vero Marcus adhuc commissariatum provinciarum Poloniae et Bohemiae retinuit probabiliter ad finem vitae 1545¹⁶⁾. Wotschke vero habet datum 1540. Quae relatio per se ipsam minus valeret, sustentatur tamen documentis, nimirum primo in quo minister Marcus a Turre vendit advitalitatem domus lignae Cracoviae Petro Staniski, et secundo ubi eandem in quadam domo lignea vendit Joanni Zbąski, ambobus ex anno 1540, sine dato diei. Sed diplomata haec hodie non existunt,

¹³⁾ A I, nr. 3.

¹⁴⁾ Quarum fabularum fons invenitur in libello A. F. Adamowicz, Kościół lutersko-augsburski w Wilnie, Wilno 1855. Quod talia a. 1855 conscribi potuissent, non adeo mirabile est, eo magis quod etiam hodie auctores eius auctoritatem tenent.

¹⁵⁾ 276.

¹⁶⁾ Ultimo nominatur in diplomate Ad I, nr. 14. Datum mortis eius nescimus. Necrologus Franciscanorum Gnesnensium „Memoria FF. Minorum Conv.“ ms Arch. Cap. cath. Gnesn. FRI. dat diem obitus 2 X 1541 manifeste erroneum saltem quoad annum, sed annotata morte videtur obiisse in Polonia.

scimus ea ex visitatione Donati anno 1596¹⁷⁾ et ex excerptis A. Karwacki¹⁸⁾. Oritur ergo quaestio, an accurate relata sint. Commissarius Marcus erat superior ministri, potuit talia tractare, error relationis potest adesse tantum in suo titulo. Relatio vero Biernacki magna auctoritate gaudet, tum quia ipse erat vir circumspectus, tum quia legebat materialia hodie deperdita. Sub 4 Martii 1540 Hosius de Lismanino qua de provinciali iam ab aliique tempore fungente loquitur¹⁹⁾. Denique pro hoc maior quoque activitas provinciae ab anno 1539 inclinatur, per novum superiorem commodius explicanda.

Lismaninus residebat in conventu s. Francisci Cracoviae. Forsan possumus indicare eius habitationem²⁰⁾. Constabat ex stuba cum camera. Stuba habebat fenestras vitreas cum fenestralibus ligneis. Parietes tecti erant materia viridea, aderat fornax, penes quem erat scamnum, praeterea scamna quatuor et quintum muro affixum, corvices quatuor, mensa cum fulcro cooperta tapeto, fores cum sera. Camera vero continebat lectum ligneum cum cultrice, sacco straminato, cervicali de cute, mensam coopertam tela grisea, cum fulcro in quo erat cista, duas alias cistas cum sera, duo armaria, oratorium ligneum cum panno nigro, quinque corvices, candelabra de aurichalco duo, imaginem Salvatoris, fenestram vitream cum fenestrali ligneo, fores cum sera et clavibus. Ex inventario domus memoramus librariam „cum testitudine satis pulchra“, continentem circa mille libros et versus centum manuscripta.

Munere suo ministri provincialis Lismaninusungebatur usque ad apostasiam. Morte Marci superveniente factus est etiam commissarius, confessarius, concionator, secretarius Bonae regi-

¹⁷⁾ Ad I, nr 6.

¹⁸⁾ Ib. nr 7.

¹⁹⁾ Acta Hist. IV, nr. 63.

²⁰⁾ Visitatio Donati a Caputo. a. 1596 ms Archivi Franciscani Leopold. s. s. 20, 32, 35—43. Numerum librorum dat 718, inter quos 99 ms, aliis libris extantibus apud diversos officiales conventus. Descriptio est camerae „tituli guardianatus“. Ibi probabiliter Lismaninum habitasse, deducimus, quia alia erat habitatio Marci quam illum etiam provincialatu absoluto retinuisse credimus, a 1596 munera custodis et guardiani in eadem persona iuncta erant, potuit titulus custodiatum in guardianatum translatus esse, haec camera videtur amplior aliis fuisse. Patet haec omnia certitudinem non praebere, quandam probabilitatem tantum habere.

nae, denique professor Universitatis 1545. Celebravit capitulum anno 1544 cui praesidebat Marcus, secundum Biernacki²¹⁾, secundum capitulum anno 1548²²⁾, in quo dictum iam decretum de studiis confirmatum est. Provincia Conventualium Polona ab anno 1517, a Bohemia separata, omnes conventus regni Poloniae et MDLituaniae, Prussia excepta comprehendebat, divisus in quatuor custodias Cracoviensem, Gnesnensem, Vlnensem, Russiae. Pertinebant ad eam magna monasteria Clarissarum s. Andreae Cracoviae, St. Sącz, Gnesnae, Glogoviae, Maioris²³⁾ cum memoriis ss. Salomeae Kingae Iolantae.

Vetustissimus et primus, capitalis quasi erat conventus Cracoviensis s. Francisci. Hic quoque ministri, tum Marcus tum Lismaninus ordinarie debebant. Conventus relationes habebat et cum aula regia et cum colonia Italorum quas Lismaninus non minus fovebat ac Marcus. Tempore prioris ministri et probabiliter saltem primis annis secundi conditio materialis loci erat bona, ita ut possent fieri diversae reparationes ameliorationesque. Non deerat quoque numerus virorum eruditorum inter Conventuales Cracovienses. Praeter Marcum et Lismaninum audiuntur Itali Gabriel de Amicis qui erat 1530 guardianus²⁴⁾, Julius Maresius Bellunensis²⁵⁾, Poloni Stanislaus de Opoczno (Petrejus)²⁶⁾,

²¹⁾ B. 276, cuius datum pro f. s. Joan. Bapt (24 VI) eruitur ex Ad 1, nr. 11.

²²⁾ Ad I, nr. 20, datum diei ignotum.

²³⁾ Conventus fratrum M. Glogoviae (Głogów in Silesia) iam 1525 interierat. Acta Archivi status Vratislaviae Glogau Rep. 135 D 170 a 3.

²⁴⁾ Matr. R. Pol. Summ. IV 15849. Idem a Venetiarum duce Andrea Gritti recommendatur in itinere in Poloniam, tunc custos Crac. Arch. di Stato Venezia 92, 28 dipl. perg.

²⁵⁾ Wotschke, Briefwechsel d. Schweitzer m. d. Polen, Lipsk 1908, 88.

²⁶⁾ Studiis Paduae absolutis cum titulo baccalaurei inscriptus est Universitati Cracoviensi 1539, 1548 erat custos Cracoviensis, 1554 memoratur commissarius provincialis h. e. tempore itineris Lismanini cui successit, electus provincialis 8. IX. 1554. Biernacki ei qua ministro dat annos 1562—78, quod corrigendum sit in annos 1554—70. Apostasia Lismanini manifesta, ei quoque successit qua commissarius generalis 1555 (?). Reelectus Cracoviae 1568, ob infelicem casum obiit 1570. Inclinabat sub influxu Lismanini ad neotherismum religiosum, tamen eum non secutus est, remansit catholicus, imo meritis est de conservatione provinciae. Sine dubio idem est ac Petrejus in litteris Lismanini quae tamen ad nos non pervenerunt. Album stud. II, Kraków 1882 sub a. 1539 — Ad I, nr. 17 — Off. Cons. Leop. IV 1828 Scr. 2644 in Arch. urbis Lwów — ms 3063 Bibl. Czart. 26 v. —

Joannes Szofdra²⁷), Stanislaus Kwiatkowski (Flosculus)²⁸), doctores theologiae posterioresque ministri, sine dubio alii quoque quorum nomina nescimus.

Activitas publica Lismanini nota est satis, ut sufficiat eam breviter recapitulare. Erat semper homo confidentiae Bonae et sicut Marcus, intermedius in distribuendis episcopatibus. Tali modo intelligenda est informatio episcopum Maciejowski (1545 et 1550) ei debuisse episcopatum²⁹). Sed etiam cum rege iuvene Sigismundo Augusto bonas relationes habebat, imo concordiam eius uxorisque Barbarae cum Bona perfecit, ita ut rex summo opere gaudens ei primum vacantem episcopatum promitteret. Qua nuntius Bonae, salutavit Julium III Papam 1550, ex quo itinere reversus iterum a rege mittitur ad bibliothecam suam complendam 1553, in quo itinere iam publice apostatasiam suam declaravit.

His adiungimus actionem Lismanini qua religiosi et ministri provinciae. Maxime dolendum est acta capitulorum annorum 1531—64 iam diu deperdita esse³⁰). Non restant nisi parcae diplomatum mentiones quae incompletam tantum imaginem suae activitatis praebent.

Anno 1539 a Paulo III obtenta est confirmatio veterum privilegiorum quibus exemptio mendicantium a potestate episcopo-

Akta grodzkie i ziemskie Lwów IV. I. — Sygański, *Analecta Sandecensia* Lwów 1905 1 — dipl. s. Andr. Cracov. 23. XI. 1565 s. s. — Vis. D. Caputo 17 v. — Sygański O. I. 2. — Matr. R. P. Summ V. 3783 — Mon. Pol. Hist. V. 308 — Ossol. dipl. nr. 2387 — Biernacki 277 — Lubieniecki Hist. Reform. Pol. Freistadii 1685 18 sq — Ad I, nr. 23 — Arch. gen. O. Mi. Conv. Romae A 8, 24, A 9, 8.

²⁷) S. J. qua membrum coetus Crac. nominatur a Lubieniecki, (18 sq), 1557 custos Cracov. (Akta gr. ziem. IV I). Erat. provincialis 1570—1 (dipl. Semin. Bibl. Pińsk nr ex a.1570) et Arch. gen. O. Mi. Conv. A 9, 8, A 14, 5, a Biernacki ignotus.

²⁸) K. S. latinisatus Flosculus, 1557 erat guardianus Crac., provincialis 1571—7, 1584 et 5 custos Leop., 1589—92 provincialis (Akt. gr. ziem. IV I — Dipl. Ossol. nr 1139 — Copiarium Claris. St. Sącz ms ib. asserv s. s. 89--90 — ms. Czart 3624 7 — Mon. Pol. Vat. IV 284 — Acta prov. 1579 Arch. Franc. Leop. 24, 77, 210 — Arch. Główne Metr. koronna 95, 139, 260). Biernacki dat ei annos provincialatus 1578—81 et 1590—93, quae correctione indigent.

²⁹) Lauterbach, Ariano-Socinianismus in Polen Wschowa-Lipsk 1725 66.

³⁰) Vis. D. Caputo 17.

rum sancita erat³¹⁾. Ex sequenti anno 1540 habentur tum litterae ad Hosium, tum breve eiusdem Pauli Papae ad Bonam. Primae insinuant ministrum Conventualium operam dare extendendae jurisdictionis in Prussiae conventus qui nec ad Poloniae provinciam nec ad coetum Conventualium pertinebant. Videtur uti tempore revolutionis religiosae annihilata provincia Saxoniae s. Joannis Baptistae complectente Prussiam ad reintegranda haec loca quod erat unicum remedium ad conservanda ea in religione catholica. Sed etiam apparet cura bonae famae catholicae totius sui Ordinis. Nec non breve Pauli revolutioni religiosae debemus. Jam Clemens VII permiserat ministrum Conventualium fratres de Observantia (Bernardinus) suscipere contra priora decreta, ne „confugientes desperatione quodammodo ducti ad Bohemos et Lutheranos transirent et fidei catholicae ac Romanae Ecclesiae nocumenta non parva afferent“. Quam licentiam nunc Paulus III etiam ad MDLituaniae extendit³²⁾, ubi erat ab 1530 separata Observantium provincia. Patet tales transfugas non optimos religiosos fuisse. Si ministri Conventualium eos suscipiebant et imo quasi quaerebant, concludendum est candidatos Ordinis paucos fuisse quod denuo tempora neotherismi religiosi designat. Ex ministeriatu Lismanini non nisi unum noscimus Joannem Ezdram de Šrem³³⁾ qui non multa bona religioni attulit.

Eodem a 1540 5—9 Septembris in ecclesia s. Francisci Cracoviensi indulgentiae celebratae sunt cum collecta eleemosynae pro redimendis captivis monachis insulae Strivalli a Paulo III indictae quae non nisi hic et in ecclesiae BMV in circulo habebantur³⁴⁾. Sub anno 1541 notatur confirmatio regia legati pro conventu Vilnensi quin tamen possimus enucleare partem provincialis³⁵⁾. 16 Mai 1542 Lismaninus ante plures episcopos Cracoviae protulit sermonem de Providentia Divina, in quo invehit

³¹⁾ Ad I, nr 4.

³²⁾ Ib. nr. 5.

³³⁾ E. J. natus 1520, intravit Ordinem 1538, professionem fecit sub L. (1539 ?), „staturae parvae, cum barba, iocosus“, multos annos erat vicarius Viln., custos Gnesn., guard Leop., ad a. 1579 guard Pinscensis, ad a. 1586 guard in St. Sącz, ab a. 1586 sar. cr. et confes. Gnesn., depositus ob spoliationem conventuum. A. 1596 ob propectam aetatem nullum officium habet (Act. 1579 69, 172, 178, 194 — vis. D. a Caputo 23).

³⁴⁾ MPH III 113.

³⁵⁾ Ad I, nr. 9.

in Lutheri haeresim. Sine dubio visa rei gravitate adfuit versus 1 Junii 1543 cum ceteris mendicantibus elevationi reliquiarum s. Hyacinthi. A Bona regina impetratus est, ut redintegraretur cum areis suis ab oppidanis locus Radomsko et extrueretur in muro, a rege vero, ut subiecti conventus Leopoliensis in Czyszki adstringerentur ad labores secundum conventionem in Piotrków anni praecedentis. Sequenti anno 1544 pro f. s. Joannis Baptistae (24 Junii) celebratum est iam dictum capitulum Cracoviae³⁶).

Actis capituli non extantibus, aliqua Biernacki affert. Praefuit Marcus a Turre. Lismaninus iterum electus est provincialis. Tractatum est de modo instaurandae provinciae nonnihil labescentis, sine dubio protestantium propagandae causa. Decretum est fratres idoneos expensis provinciae in Italia studia perfecturos esse, ad quos fovendos monialium conventus contribuendi sint. Observantes suscipere soli provinciali reservatum est. Notanda est, si non per errorem decretum de studiis Italicis hic loco anno 1548 adductum est, cura studiorum repetita et sollertum Marci tum Lismanini.

Anno 1545 Marco defuncto, Lismaninus sua munera hereditavit. Factus est confessarius Bonae quod officium in sua subscriptione non omittebat. Designatus ulterius commissarius generalis Poloniae et Bohemiae quod munus ei impertiri non poterat nisi a generali Joanne Jacobo Passeri 1543—9. A rege nominationem accepit lectoris extraordinarii sacrae paginae h. e. theologiae dogmaticae in Universitate. Imposita ei erat una lectio cotidie, quam legere poterat etiam in suo conventu, cum remuneratione 25 marcarum in teloneo Cracoviensi. Quod munus per decem annos obibat, h. e. usque ad formalem apostasiam, vix tamen valde curabat tum ob multas diversas occupationes tum ob itinera. „Immediata vestigia sua in Universitate non habentur, relationes cum ea erant superficiales“³⁷).

In provincia vero commissarius provincialisque consuetos labores continuabat. Anno 1546, fortasse ex decisione capituli curavit provinciae constitutiones imprimendas Venetiis. Aderat

³⁶) MPH IV 896 — Piasecki J. Pamiętnik Rel.-Mor. Opisanie kość. i klaszt. franc. w Polsce 1843, 405—13 fonte non indicato. — Matr. R. P. Summ. IV 21263.

³⁷) Barycz O. I. 408—9. Corrigendum vero est datum: in fine Novembris, nominatio est de 4 XI. Matric. R. P. Summ. IV 7531.

quoque Cracoviae „liber bene compositus in 4^o totus pergamenus desuper cute nigra coopertus, in quo scriptum est inventarium rerum ecclesiarum tempore r. p. Francisci Lysmanini provinciando Poloniae“. Cracoviae habitabat, eundemque conventum et ecclesiam restaurabat laboribus iam a Marco inchoatis continuando, ad quos perficiendos favore Bonae a rege subventionem obtinuerat 1547, certe et aliis annis. Aream conventus ad aptiorem statum redigere conabatur cui annumerandae sunt tum venditio horti Bartholomaeo Zwolenerii 1550, tum lis de domo cum Boratyński 1552³⁸⁾.

In aliis conventibus novimus actionem Lismanini Leopoli. Ibi 1546 dedit praesentationem parochiae Czyszki Joanni de Dębowica. 1547 commisit custodi guardianoque Bolewski disparandos fines Czyszki a Dmitrowice et a Winniczki quod negotium anno 1549 absolutum est. Eodem anno 1549 Nicolaus Odnowski iubetur a rege reddi aream per stabulum suum occupatam. 6 Junii 1550 vero confirmatur incorporatio Hanaczów et Kozielniki, iam 1460 a Casimire rege facta³⁹⁾.

An aliquo modo commissarius ingresserit in negotia iudicialia conventus in Chęciny cum civibus anno 1546⁴⁰⁾, dici non potest.

Anno 1548 celebratum est capitulum provinciale Cracoviae, in quo iam notae constitutiones renovatae sunt⁴¹⁾.

Qua ministri et commissarii, Lismanini erat visitare conventus provinciae. Notum est Marcum hanc obligationem adimplevisse. Quoad Corcyraeum nihil certum scimus. Potest hic memorari iter quod fecit in Maiorem Poloniam anno Decembri 1546 ad Martium 1547⁴²⁾ et iterum simile iter eisdem mensibus anno sequenti 1547/8, cuius finis principalis erat negotium cum Clarissis Gnesnensibus, supponi potest in his itineribus visitationes quoque perfectas esse. Vix vero videtur profectus esse in

³⁸⁾ Vis. D. a. C. 17, 18 — Ameisenówna Średniowieczne malarstwo ścienne w Krakowie: Rocznik Krak. XIX 62 sq — Wierzbowski, T. Materjały do dziejów piśmiennictwa polskiego, I, 129 — Add I nr. 21.

³⁹⁾ Ad I, nr. 15, 16 — Akta ziem. gr. Lwów X 50 825, 55 751 — Matr. R. P. Summ. V 884.

⁴⁰⁾ Matr. R. P. Summ IV 22476, 22478.

⁴¹⁾ Acta Hist. I 100, 356.

⁴²⁾ Itinerarium L. a. 1553 dat Lubieniecibus, a. 1549 vix profectus esset ob complicationes matrimonii regii, hoc quoque tempore iam in fide vacillabat.

capitula generalia quae suo tempore locum habebant 1543, 1549 Assisii, 1553 Genuae. De quibus ultimis duobus potest fere cum certudine affirmari eum non adfuisse, non restat nisi primum, ubi praesens esse potuerit, sed de eo siletur⁴³).

Qua commissarius, Corcyraeus factus est superior monasteriorum Clarissarum. In his nunc multiplicem actionem ostendit. Iam anno 1546⁴⁴) notanda est confirmatio regia privilegii Boleslai Pudici, transferentis Clarissas ex Zawichost in Skala. An. 1549 a Sigismundo Augusto Clarissae Gnesn. ab exactione liberatae sunt⁴⁵). Nunc quoque rem magni momenti perfecit, adeptus est enim iuspatronatus paroeciarum in bonis trium monasteriorum Clarissarum sitarum. Quod non erat nisi primus gradus, intentio sua patet ex documento Clarissarum Gnesnensium de 20 Januarii 1548⁴⁶), volebat incorporare parochias Kostrzyn et Strzyżewo conventui Franciscanorum Gnesnensi ad paupertatem conventus sublevandam quia „homines fere omnes deflexerant a divino cultu spernentes religionem et religiosas personas, modicam vel pene nullam stipem seu eleemosinam contemplatione Dei piis locis tribuentes“. Ex hac augmentatione proventus minister sperat aliquod¹) auxilium studii conventualis Cracoviensis vel aliarum scholarum catholicarum. Promittit quoque conventum Clarissis tum parochiis dictis praestitutum esse praedicatorum et confessarios, cum qua promissione pugnat assertio eiusdem acti in diem minores fratres adesse, defici competentes praedicatorum et confessarios et officiales.

Ut bene intelligamus intentiones Lismanini, debemus altera ex parte reminisci eum tunc factum esse iam saltem vacillantem in fide catholica, altera quod ab anno 1546, ex quo extat correspondentia cum Zebrzydowski, semper pecuniam exigisse, de defectu eius, de penuria sua conventuumque questum esse.

Hic est locus tractandi de eius evolutione interna quae ad apostasiam pervenit. Ipse tempore posteriore affirmabat se iam a iuventute ob lectos Lutheri libros in corde religioni catholicae non credidisse. Sed haec confessio quamvis repetita a d. Wotschke,

⁴³) Matr. R. P. Summ IV 22547.

⁴⁴) Ad I, nr. 21.

⁴⁵) Ib. nr 19.

⁴⁶) Lubieniec O. I. 24.

nobis improbabilis apparet. Tali in casu neque bene intelligitur, quare Ordinem intraverit vel si intrando adhuc corde catholicus fuisset, quare in eo tam diu moratus erat. Eo deserto, et desiderio cordis sui satisfacisset et tunc iam ab annis optimam conditionem status invenisset, e. g. in Prussia apud Albertum ducem qui iam ab anno 1520 ministros acatholicos quaerebat. Porro debuisset inter diversas sectas praecipue lutheranismum et Germanicas ideas sapere — hoc tempore nondum alii reformatores extiterant. Sed nullo modo. Calvini opera regi Sigismundo Augusto legebat. Publicam apostasiam suo Calvini impulsu perfecit, in sua actione qua theologus protestantium inter calvinismum et Ochinum vacillabat. In suis itineribus nunquam Germaniam cum Lutherana capitali Wittenberga, nunquam Melanchthonem, Germaniae praeceptorem, visitabat, neque notum est eum Germanicam linguam calluisse, cum scripta in ea opera Lutheri suam magnam et veram impressionem producebant, nequaquam Latina. Videtur quoque non tam multos libros reformatorum habuisse ante a. 1550, si eos episcopo Maciejowski adveniente infra pauca minuta in fornace celare potuisset⁴⁷⁾.

Denique in dicto casu Lismaninus suum protestantismum in corde per viginti vel plus annos celasset, tam optime ut nec Marcus a Turre nec Bona aliquid animadvertissent — notum est qua indignatione haec apostasiam susceperit. Fuisset tali modo summus hypocrisiae artifex, cum perseverantia paene superhumana. His rationibus sua confessio ex a. 1556 nobis reicienda videtur. Non semper homini de se dicenti credendum est. Hic intelligenda est intentio Lismanini qui volebat se in quam meliori luce praesentari ante ministrum Fratrum Bohemorum; rememoranda etiam tota fabula de sua conversatione in religione catholica et monachali a Luthero imaginata. Quapropter pensamus initia defectus interioris a fide catholica multo posteriora fuisse. Habemus in eo testimonium optimum Budzyński. Qui si haberet aliquod interesse in datando defectum Lismanini, idem esset, removendum quam prius. Sed ille dicit initium coepisse a scriptis Bernardini Ochini quae ei regina dederat ad invisandum⁴⁸⁾.

⁴⁷⁾ Ibidem 18.

⁴⁸⁾ Trajedia o Mszey, Pinczów 1560.

Rememorari debet quod opera Ochini multo maius impresse-
runt Polonos et Italos quam alia quaecunque protestantia. Testis
est nemo minor primate Uchański. Praecipue Lismaninus postero-
ribus annis quoque sub eorum auctoritate remanebat cuius pro-
batio restat translatio Polona⁴⁹⁾. Etiam theologia reformata Lisma-
nini in essentialibus Ochinum plus quam alios sapit. Adicienda
sunt data annorum. Primum opus neothericum Ochini Prediche
impressum est Genevae 1542—4. Antequam in Poloniam missum
sit, antequam id Lismaninus a Bona acceperit, aliquod tempus
effluxit. Proinde prima vacillatio in fide ponenda est 1545—6⁵⁰⁾.
Bene hoc coincidit cum initiis coetus reformationum Cracoviensis,
bene correspondet eo quoque quod adhuc anno 1542 Lismani-
nus sermonem vere catholicum protulerat⁵¹⁾.

Non valemus dicere qua de causa mense Majo 1542 plu-
res episcopi cum primate Gamrat congregati erant Cracoviae.
Utcunque, Lismaninus sine dubio invitatus in eorum praesentia
splendidum sermonem dixit de Providentia Divina. Nihil in eo
protestantismum sapit, concionator dolet haeresim propagatam
esse, domum Dei ruinatam. Est pleno sensu humanisticus, abun-
dat citationibus Homeri, Pindari, divi Platonis, sed magis adhuc
affert Scripturam s. et Patres Ecclesiae. Apparet ibi magna eru-
ditio praedicatoris, intelligimus quare ei titulus doctissimi daba-
tur. Sermo producit impressionem boni et de se ipso contenti
status materialis et moralis et oratoris et auditorum, forsitan
nimis.

Diversae erant causae quae adduxerunt Lismanini apostasi-
am. Non silendum est illo tempore Conventuales aegerrime
tulisse actionem Leonis X qui eis abstulerat primatum in Or-
dine Minorum, transferendo ad Observantes 1517⁵²⁾, magis aliis
nationibus Itali, et propterea iunctionem cordis cum Sede Apo-
stolica in uno alterove concussam esse. De hoc quidem motivo

⁴⁹⁾ Lubieniecicus O. I. initia coetus Crac. dat ab anno 1545.
Vix potuerit Bona dedisse Ochini „Conciones“ i. e. Prediche antequam
fuisset eius confessarius, et hoc probabiliter non accidit nisi post mortem
Marci qui testatur adhuc 1545 m. Junio.

⁵⁰⁾ Ad II.

⁵¹⁾ Quod motivum animadvertit in conversatione mecum P. A. K u-
bit, minister hodiernus provinciae Conventualium, pro quo ei gratias agimus.

⁵²⁾ Cricii A. Carmina ed C. Morawski Cracoviae 1888.

apud Corcyraeum nostrum nihil dicitur, bene tamen quasi animus generalis adesse poterat, in quo dubitatio de catholica fide cresceret. Alia praeparatio erat nimia familiaritas cum episcopis qui tunc minime bonum exemplum dabant, cum modo acquirendi dignitates ecclesiasticas, emptas apud reginam per manus suiipsius. Porro tota vita curialis et humanistica. Nequaquam erat curia Bonae et Sigismundi Augusti schola virtutum religiosarum, et minime franciscanarum. Vitam curiae depingunt in luce characteristicarum carmina Cricii nec non litterae Zebrzydowski⁵³⁾. Florebat vero in ea vita humanistica cum libertate morum, cuius exemplum hauriebatur in antiquis scriptis et factis, cum curiositate intellectuali illimitata. In hac vita curiali Lismaninus qua in suo elemento vigeat. Erat iucundus conviva, amabat bonam culinam, delicias hortorum, colloquium elegans intellectuale et fortasse tale quoque cuius exemplum praebent Poggii Facetiae aliaque similia anecdota humanitica. A votis religiosis recederat, praecipue castitatis et paupertatis, non ipse solus ceterum. Quae decursu temporis magis et magis augebantur, spiritum aperientes discussionibus coetus Cracoviensis lectionumque reformationum, praecipue radicaliorum et viceversa ab hoc utroque nutriebantur, animum a fidelitate Ecclesiae avertendo. Utcunque, usque ad a. 1550 videtur omne celatum esse ab opinione publica. Iter Italicum a. 1550 fortasse evolutionem acceleravit, saltem reversus Lismaninus in famam protestantismi cecidit.

Non pauca hic attulit querela eius cum Clarissis s. Andreae Cracoviae⁵⁴⁾. In principio relationes optimae erant. Clarissae quarum abbatissa tunc erat Ioanna Małoszyńska, ceterasque novimus ex illius temporis diplomate⁵⁵⁾, ipsae satis dissolutae erant. Vidimus commissarium eis confirmationem privilegiorum procurasse 1546. In domo ad eas pertinente habitationem amicissimo suo Zebrzydowski praeparavit⁵⁶⁾. Imo moniales ei reddebant servitia quae minime earum sacro characterem

⁵³⁾ Acta Hist. I 592, 608, 628, 640, 675, 759 846.

⁵⁴⁾ Ad I, nr. 17. De earum dissolutione Acta Hist. I, nr. 843, pag. 488.

⁵⁵⁾ Acta Hist. I, nr. 182.

⁵⁶⁾ Ibidem nr. 843, pag. 488.

respondabant, concubinam eius apud se foventes⁵⁷⁾. Nec ei recusaverunt iuspatronatus in parochiis suorum bonorum. Adhuc mense Septembri 1549 bonae relationes reciprocae intercessisse videntur⁵⁸⁾. In fine autem maximum bellum inter moniales et Lismaninum ortum est.

Causa erat in quaestione pecuniaria. Vita quam Lismaninus degebat, multum argentum exigebat. Habebat quidem non paucos proventus. Erat pensio professoris Academiae, erant dona eorum qui protectionem suam apud reginam poscebant; sine dubio episcopabiles praeter taxam Bonae etiam sportula intermedio secretario solvebant. Ipse amicissimus Zebrzydowski quoque epistolam suam non sine dono aliquo mittebat, eo magis de aliis id supponendum est. Porro si regina episcopatus pro pecunia dabat, nonne idem faciebat Lismaninus cum parochiis quarum patronatus habebat? Hic causam esse credimus qua de re ius hoc in bonis Clarissarum acquisierat, et imo ut moveret Gnesnenses, iter eo fecerat. Si denique audimus de extrema paupertate conventuum provinciae 1551, eius causa quaerenda in eo nonne sit, ut ex eis quam plurimam pecuniam omnimodo extraheret?

Quae tamen omnia vix sufficiebant. Lismanino non solum intererat, ut haberet repletum sacculum ad expensas currentes, sed etiam in animo habebat plurima in futurum congerere. Post suum ex Italia reditum 1551, rumor pandebatur Cracoviae quod exportat quam plurimam pecuniam et aurum in Italiam, ut Venetiis domum aedificet fixurus illic incolatum uxore ducta⁵⁹⁾.

Iter eius Italicum a. 1550 multas expensas adduxit, eo magis ut diutius videatur Venetiis commoratus esse ibique „lautius suo genio indulsisse“. Iam m. Septembri huius anni episcopus Maciejowski de eo scribit quod in Polonia primariores quosdam potentes prava doctrina et consuetudine corruperat et infecerat, ecclesias sui Ordinis depraedaverat, monasteriis pensiones imposuerat. legatumque regium Andream Czarnkowski ad Julium III misit, ut Papa interdicat has pensiones neve permittat Lismaninum redire in Poloniam, sibi vero concedat facultatem visitandos

⁵⁷⁾ Matr. R. P. Summ V 590.

⁵⁸⁾ Acta Hist. I, nr. 843, 488.

⁵⁹⁾ Wierzbowski T. Uchansciana III, 277.

religiosos etiam exemptos quia inclinent ad neotherismum religiosum⁶⁰).

Nescimus, an de talibus Corcyraeus aliquam notionem obtinuerit, quae tempestas sibi minetur. Utcunque revertit et actionemque suam continuavit. Datum nescitur, forsitan post mortem episcopi 25 Octobris 1550, cum se securiorem sperare posset. Neque novimus, an demum tunc an iam antea in mentem duxerit bona Clarissarum s. Andreae sub suam administrationem sumere. Hic autem moniales se opposuerunt, suspicientes dissipationem. Si vero res iam antea agitata erat, nunc post iter Italicum in stadium flagrans devenit.

Non accurate scimus historiam certaminis⁶¹). Videntur in initio concessisse aliquam partem administrationis, sed cognita intentione commissarium omnino amoverunt. Praeterea „concupiscitiam suam... illic vitiatam ac prostitutam ex connoventia seu subordinatione monachorum et quod virginitatem eiusdem commissario integram non tradiderunt“. In fine ille eas excommunicavit et istae per totam urbem divulgabant quod contra ius et aequitatem a commissario omnia mala patiantur. M. Februario anno 1551 querelam miserunt regi et capitulo cathedrali Lismaninum se affligere insultibus, iniuriis, acerbitatibus, vexationibus, velle sibi demere, praedari et disponere suis bonis, oppidis, ruribus, hereditatibus, proprietatibus, insuper eum se excommunicasse, cum ei restitissent. Bonum momentum elegerunt ad querelam: sedes episcopalis vacabat Maciejowski mortuo, in capitulo commissarius habebat inimicos. Quod bene noverat rationes intimas Clarissarum; in celebri instructione synodali eiusdem a. 1551 nequaquam parcit eis, hic tamen earum partes tuitum est, contra Lismaninum toto acumine directo. Etiam inter magnates saeculares invenerunt protectores a commissario. Volebant probabiliter omnino exemptionem ab oboedientia commissarii. Attamen novus episcopus Andreas Zebrzydowski (ab Junio 1551) non frustra amicus Lismanini erat. Expresse et fortiter pro eo stetit et Clarissas ad oboedientiam coegit. Sed etiam Lismaninum persuasit, ut se clementem ostendat excommunicationemque de-

⁶⁰) Tota res non est nota nisi ex mentionibus in epistolis Zebrzydowski cfr. notam 53.

⁶¹) Bukowski J. Dzieje Reformacyj w Polsce I, 596.

mat. Item pericula a saecularibus monialium tutoribus imminencia avertere scivit. In concordia sine dubio commissarius aliquam recompensationem pecuniariam recepit, forsan quandam partem proventus bonorum. Utcunque, tota haec res maximum scandalum genuit, Lismaninoque summopere nocebat, oculosque omnium in eum convertit.

Actio Lismanini qua superioris Fratrum Minorum clauditur causa iudiciali et tumultu ⁶²⁾. Res agebatur de domo, de qua lis intercedebat inter conventum Cracoviensem et vicecapitaneum Boratyński. Praeter ius tamen partes adhibebant argumenta minus intermedia. Servitores Boratyński agressi sunt conventum m. Novembri vel Decembri 1552. Repulsio venit de conventu. Die 23 Decembris pulsata in claustro campanula, fratres, probabiliter laici, et famuli invaserunt domum, quae litis obiectum fuit, afflixerunt vulneraruntque domesticos Boratyński et captivos abduxerunt in conventum. In accusatione sua Boratyński praetendit haec accidisse cum scitu ministri. Qui tumultus magnam repercussionem ubique habuit et querelae ad Papam Julium III pervenerunt quo probatur quantos inimicos haberet Lismaninus. Iterum Zbrzydowski tuetur eum suis ad Curiam Romanam litteris, principalem culpam Boratyński statuentibus.

Notum est iter Lismanini sequenti anno 1553. Adverti debet eum exisse formaliter et ad extra tum catholicum tum superiorem Conventualium in Polonia. Sequenti anno 1554 8 Septembris celebratum est capitulum provinciae Cracoviae, in quo electus est minister provinciae Stanislaus de Opoczno ⁶³⁾. Lismaninus quidem absens erat, sed omnia se consentiente acta esse eo probatur, quod retinuit munus commissarii generalis et quod cum Stanislao epistolas permutabat ⁶⁴⁾. Vix inclinationibus protestantibus sua resignatio ministeriatus adscribenda est, potius secutus est exemplum Marci a Turre qui munere provincialis resignato, commissariatum ad finem vitae retinebat. Eo magis aliis suis officiis Lismaninus inhaerebat. Iam publico calvinista factus et uxoratus,

⁶²⁾ Ad I, nr. 23.

⁶³⁾ Wotschke Briefwechsel 226 — Calvini Opera IV 2340, XVI 2350. Opoczno appellatur Petrejus. Quae epistolae non extant.

⁶⁴⁾ Wierzbowski T. Materiały do dziejów piśmiennictwa polskiego I, 153.

in Aprili a. 1555 quietat pensionem Academicam pro quartalibus s. Crucis et. s. Luciae (III et IV) 1554 cum subscriptione: „Franciscus Lismaninus Corcyraeus, per Poloniam et Bohemiam Franciscanorum Conventualium commissarius generalis⁶⁵⁾).

In vita Lismanini religiosi videntur tres periodi distinguendae esse. Prima durat ad annos 1545—6. In ea est adhuc pleno sensu catholicus et strenuus administrator suae provinciae. Est quidem humanista, fortasse plus curialis quam monachus, forsitan nimis fragilitate humana indulgens. Secundam periodum protraxerimus vix non ad iter Romanum 1550. Hic incipit legere opera Reformatorum et paulatim deficiente criticismo, sicut multi alii eorum spiritu imbuitur. Venit vacillatio fidei, orta a vita nimis libera, a curiositate humanistica, a collegis coetus Cracoviensis. Venit existentia duplex in facie superioris Franciscani, in corde iam neotherici facti. In administratione provinciae, in ceteris iam maxime curat quam plurimum argentum extorquendum. Iam rumores dissolvuntur de suis haereticis erroribus.

Iter Romanum 1550 hanc evolutionem precipitasse videtur. Dolendum est nos nescire eius singula. Adminus hoc supponi potest quod Lismaninus eo usus est ad plures libros reformatorum legendos. Reversus transit periodum tertiam. Hic iam notus est qua reformationis assecla. Monasterium „antrum Francisci“ suum fecit eius centrum et inter fratres nominantur publice protestantes⁶⁵⁾. Publicum fit quoque suum discidium cum votis castitatis et paupertatis, lites deveniunt scandalosae. Habet quidem protectores potentissimos regem, reginam matrem, episcopum. Utcunque, impressio oritur solum ei quasi sub pedibus urere et propterea cum levamenti sentimento iter a rege commissum salutasse, fortasse ad obtinendum insudasse. Relinquens Cracoviam autem vix in animo habebat, derelinquere religionem catholicam et Ordinem s. Francisci. Sed consequentia anteriorum factorum maior ostenditur suis velleitatibus. Accidit influxus Calvinii, maior forsitan influxus Claudiae. Quasi fructus maturus reformationis Lismaninus ex arbore catholica decidit.

⁶⁵⁾ Lubieniec ius O. I. 24 — Acta Hist. IV, nr. 846, pag. 488 — Wotschke Briefwechsel 82. — In fine ex fratribus plurimi remanserunt catholici, protestantes audiuntur Stanislaus Rapagelanus, Hieronymus, Alexius Rodecki, Valentinus, Andreas et Julius Maresius Bellunesis qui autem ad fidem rediit.

Ulteriora sua iam non pertinent ad nostrum studium. Advertimus tantum: si d. W. credit, nunc optimam suae vitae periodum advenisse, hoc potest verum esse fortasse in primo tempore Lismanini, cum sentiret eliberationem duplicitatis et mendacii. Sed vix diu. Venerunt suspiciones de Claudiae fidelitate, venerunt peiores morsus conscientiae fractorum votorum, derelictae fidei qui finem adduxerunt notum et dolendum suicidium.

Pińsk

Kamil Kantak
Professor Seminarii Clericorum.